



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De eodem Conuerso, & caeteris Conuersis infirmis, quot noctu visitans  
benedixit, cap. 13.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**N**octe quadam cùm Conuersus præfatus sedet in lecto suo, in infirmitorio, & cæteris dormientibus diceret orationes suas, vedit Dominam nostram sanctam Mariam eandem cellulam in magna claritate intrantem, monacho cuidam, quem nominare nolo, præcedente, matronis duabus subsequentibus. Supra cuius caput cùm manum posuisset, lectos infirmorum perlustras, & dormientibus benedicens, iterum ad eum rediens, manuque super caput eius secundò posita, sic ait: Deus benedicit quicquid hîc manet, sicque egressa est. **APOLLONIVS:** Si sic dormientes noctibus a speculo totius castitatis visitatur, valde decet, ut tam ordinatè, & tam compositè religiosi in lectis suis iacere studeant, ut virgineus aspectus in eis non offendatur. **CAESARIUS:** Iuste moueris: referam tibi de hoc exemplum, quod me audiret colo à magistro meo in probatione.

## CAPUT XIII.

*Indecen-  
ter cuba-  
tes nocte  
religiosos  
B. Virgo  
preterit.*

**M**onachus quidam, sicut frequenter continet, cùm nocte quadam dormire nō posset, diceretq; orationes suas, contemplatus est in dormitorio feminam miri decoris, quæ dum dormientium lectos circuierat, singulis benedixit, uno tantum monacho neglecto, quem non respicere curauit. Hunc vigilans diligentius notans, cùm visio ei fuisset intimata manè, confessus est, quòd eadem nocte inordinatè iacuisset, aliquid sibi de rigore ordinis relaxando. Non mihi dicere potuit magister meus, vtrum cingulum deposuerit, vel caligas demiserit, siue tunicam denodauerit. **A P O L L O N I V S:** Si proculpa tam modica monachus iste gratia benedictionis priuatus est, puto eum dignum esse pena, qui inordinate & impudicamente iacere dormiens consuevit. **CAESARIUS:** De hoc terrible satis habes exemplum in distinctione quinta capitulo tricesimo-quinto, de Conuerso quem diabolus impudicamente dormientem, in forma monialis deosculabatur, qui mox infirmatus, infra triduum mortuus est. Dormientes enim & peccare possumus, &

mereri: